AD

MEMORIAM

BESTVCHEFIANAM

ORATIONE SOLLEMNI

DIE XXX. MENSIS IVNII A. R. S. cIↃIↃCCXCVI

HORA IX

IN AVDITORIO THEOLOGORVM

CELEBRANDAM

INVITANT

DECANI SENIORES ET RELIQVI ASSESSORES
QVATVOR FACVLTATVM ACADEMIAE
LIPSIENSIS

Spicilegivm XXIV.

Autographorum, illustrantium rationem, quae intercessit Erasmo Roterodamo cum aulis et hominibus aeui sui praecipuis omnique republica.

OTTOMARI LVSCINII,

Ecclesiastae Augustani, Friburgensis, Basileensis, tandem Canonici Argentoratensis Ecclesiae S. Stephani, Epistola A. 1531. ad Erasmum data, ex Autogr.

Auctor, *Argentorati* natus, qui, nomen gentilitium *Nachtigall* habens, maluit vocari *Luscinius*, nonnunquam ex graeco *Progneus*, sed quem *Melanchthon* Vulturem potius, siue *Vulturium*, (*Geyer*,) adpellandum censuit, fuit Musices, linguarum, latinae, graecae, hebraicae, peritus, nec Philosophiae et Theologiae imperitus. Postquam *Viennae* Austriae Musicam docuerat, fuit ille *Lector Linguae Graecae* in Coenobio Benedictinorum et *Ecclesiastes Augustae* Vindelicorum, deinde *Friburgi*, postea vero *Basileae*, tandem *Canonicus* Ecclesiae S. Stephani, *Argentorati*. Scripsit varia. Diem obiisse putatur anno 1535., incertum tamen est. Vita eius exstat in Iacobi Bruckeri Miscellaneis historiae philosophicae, et in Io. Georg. Schelhornii amoenitatibus litterariis, etc.

Mentionem huius Luſcinii *Eraſmus* paſſim in epiſtolis ad alios fecit, Tomo III. Operum. In epiſtola 509. ad Theologum quemdam non nominatum, vbi locus et annus deſunt, p. 1887. haec leguntur: „Reſcribe per hunc, ſi moleſtum non „eſt. Eſt enim *Ottomarus Luſcinius*, huius vrbis *primarius Ec-„cleſiaſtes*, nec a Linguis ac Muſis alienus, in hoc mei fati, „quod, vt ille *Auguſta*, ita ego *Baſilea* profugi, ne videre-„mus, quae dolerent, oculis." *Vrbem*, cuius *primarius Eccleſiaſtes* in hac epiſtola vocatur *Luſcinius*, haud dubie fuiſſe *Friburgum*, non *Baſileam*, vt auctor Indicis Tomi III. Operum Eraſmi putauit, facile adparet ex ipſis *Eraſmi* verbis, qui *Baſileâ* profugerat *Friburgum*, vt Luſcinius *Auguſtâ*. Luſcinium vero, Auguſtâ profugum, *Friburgi* in eadem cum *Eraſmo* habitaſſe domo, docebunt ſequentia.

Nimirum in epiſtola 1210. ad D. Ioannem Cholerum, Praepoſitum Curienſem, data *Friburgo* A. 1531. p. 1426. ſeqq. dicit *Eraſmus* de domo haeredum D. Iacobi *Villingeri*, ab hoc exſtructa *Friburgi*, ſibique ſponte delata; de eadem ab *Ottomaro Luſcinio* et Auguſtino *Mario*, quondam Eccleſiaſta Baſileae, occupata; de ſibi ceſſa cum his aliqua domus parte; de *Mario* poſt octo fere menſes migrante, ſed *Luſcinio* diu manente, ſub hyemem in domum cuiusdam Abbatis migrante, relicta tamen maxima parte ſupellectilis, et multum moleſtiae *Eraſmo* gignente, etc. Inter alia *Eraſmus* in hac epiſtola ſcribit: „Poſt colloquium," (cum Quirino, famulo meo,) „ſenſi „hominem mihi parum aequum. Multa queſtus eſt apud „Quirinum de me. Et Argentorati quidem aſſeuerant eum in „me dixiſſe plus, quam hoſtilia; et credo, vtcunque ille ne-„gat. Quid ſcribat ſuis, facile diuino." Denique in epiſtola 1233. ad eumdem Ioannem Cholerum data Friburgo d. 5. Octobris

bris A. 1532. p. 1453. „Quid *Luſcinio*, inquit, acciderit, ne„ſcio; ſed nuper apud *Cartuſianos* in conuiuio dixit, *Eraſmum* „eſſe *nebulonem*, et omnes, qui legunt ipſius libros, fieri *ne*„*bulones*. Inſtigatus eſt, vt opinor, a *Pelargo*, Dominicano," etc.

Caeterum in Epiſtolis familiaribus Eraſmi ad Bonif. Amerbachium, I. V. D. ac Prof. Baſil., ex MSS. editis Baſil. 1779. 8. p. 93. 94. in epiſt. 79. ſcripta Friburgi, feſto corporis dominici, A. 1533, haec leguntur: „Nunc intellige, cur *Luſcinius* meam „redierit in gratiam. Reſignauit cuidam praebendam, hac le„ge, vt *Fuggerus* quotannis numeraret ipſi 80. florenos au„reos, donec procuraſſet ſacerdotium eiusdem cenſus, aut ma„ioris. Verum vbi *Fuggerus* ex *Cholero* cognouiſſet, hunc „mihi eſſe inimicum; videbatur contracturus benignitatem ſu„am, certe eum ſcrupulum illi inieceràt *Cholerus*. Hoc me„tuens *Luſcinius*, finxit reditum in gratiam. Mirabar ſubitam „mutationem. Sed ſub feſtum Aſcenſionis *Luſcinius* per litte„ras magna inſtantia petiit a me, vt mea illa eloquentia ſe *An*„*tonio Fuggero* commendarem. Se non eſſe nunc alium, quam „olim, quum *Fuggerus* ipſum ſua benignitate dignum iudica„ret. Hoc ſane verum dixit, niſi quod addendum erat: er„rans iudicaret. Quid facerem? Negarem officium reconci„liato? Scripſi, ſed colore rhetorico. Ille iactauit noſtram „amicitiam, multa amanter de me praedicauit, ſe purgauit; „addebat, Eraſmum optime valere. Quid multis? Impetra„vit, quod voluit. Nunquam tamen me inuiſit; per litteras „et famulum agit, ſi quid vult."

Nulla LVSCINII ad *Eraſmum* edita exſtat epiſtola, nec ERASMI ad illum. Quae nunc tandem ex Autogr. prodit, a LVSCINIO ſcripta eſt *pridie Non. April.* ſiue die 4. Aprilis A.

 1531.

1531. loco non addito. (v. Index h. a. n. 5.) Loquitur de *itinere* futuro. *Erasmi* ad doctos amicos *commendationem* cupit, et *pro moneta Basileensi Coronatos*, profecturus primum *Marsiliam*, erratorum suorum *poenitens*, ad D. *Mariam Magdalenam*. Addit, quae *aedes Villingeri*, Erasmo *Friburgi* locatas, spectant.

S. D. Occupatissimus omnium ad te iam scribo, Praestantissime D. Erasme; ideo pro tua benignitate ignosces ruditati. Incidit mihi heri in mentem, protinus vbi abierat a me noster Quirinus,[1]) vt te certiorem reddi iuberem, si quippiam tibi esset negotii Bizantii Burgundionum, Lugduni, aut in vtra malis Rhodani ripa. Post peractam enim Paschae *) celebritatem, Deo auspice, oras illas sum petiturus,[2]) me effecturum, vt neque fidem, neque diligentiam, in me, qui totus sum tuus,[3]) requirere possis. Proinde est, in quo mihi mire, citra vllum dispendium, gratificari queas, si, doctis scribens amicis, me leuiter saltem illis commendes. Item, si pro moneta Basiliensi,[4]) aut Batzonibus, vt vocant, Coronatos mihi, ad summam XX aut XXV, miseris, ad Viaticum. Proficiscar autem in Marsiliam,[5]) ad ea loca, quae Diuae Mariae Magdalenae μετανοίᾳ sacra esse perhibentur, ipse erratorum meorum poenitens. Aedes Villingeri,[6]) tibi locatas, felices esse cupio, et claues omnes mittam, vnam

1) *Quirinus*, Erasmi famulus.

*) *Pascha* anno 1531. celebratum fuit die nono mensis Aprilis.

2) Deest: *et promitto*, vel *spero*, vel aliud verbum.

3) His verbis fidem vix tribuisse *Erasmum*, docent eius ad Ioannem Cholerum epistolae, a. 1531. et 1532. scriptae, et iam citatae.

4) Scripta videtur haec epistola *Basileae*, quo se contulerat Luscinius *Friburgo*.

5) *Marseille*, vt Galli vocant.

6) Quas *Friburgi* exstruxerat *D. Iacobus Villingerus*, Romani et Hispan. Regis Thesaurarius dictus, in Erasmi ad eum epistola, Louanio 3. Octobr. A. 1520. data, T. III. Opp. p. 583. ep.

vnam etiam atque alteram meo aere comparatam, sed nihil exigo. Curabitur interim, vt in arca quapiam res meas abducam. 7) Tu vale, et me tui amantissimum redama, aut, quo contentus ero, in extrema aliqua parte colloca tuorum. Pridie Non. April. 31.

Ottomarus Luscinius.

Celeberrimo Viro, D. Desiderio Erasmo Roterodamo, Patrono et Amico dulcissimo.

(Sigillum integrum.)

GERARDI MORINGI,

Theologi Louaniensis, etc. Epistola A. 1528. ad Erasmum data, ex Autogr.

Nulla MORINGI edita exstat ad *Erasmum* epistola, nec vlla huius ad illum. Quare ea, quae nunc primum ex Autogr. in lucem editur, videtur alicuius esse pretii.

Auctor, Nouiomagus, aliis Bommelanus, Gelder, fuit *Theologus Louaniensis*, et *Pastor* ad S. *Gertrudem*, deinde vero *Pastor* et *Lector* ad S. *Trudonem*, *(S. Truyen* vocant,) Ordinis S. Benedicti, in ditione Leodiensi; vir multa lectione exercitatus,

ep. 534. Viri huius mentio fit in Seckendorfii Hist. Luth. Lib. I. Sect. 16. §. 33. Add. 2. c., vbi sermo est de *Caroli*, Hispaniarum Regis, posthac etiam Imperatoris, (Caroli V.) legatione ad auum, Maximilianum I. Imp., et Principes Imperii, anno 1518. Item Sect. 33. §. 80. Add. h. de electione *Caroli V.* Imp., vbi Legati, Oratores et Procuratores *Caroli* nominantur, et inter hos *Iacobus Villingerus*. Virum *piae memoriae* vocat Erasmus p. 1426. in epistola, ad Io. Cholerum anno 1531. data.

7) Omnia, quae *Luscinius* de *aedibus Villingeri* etc. dixit, optime illustrat *Erasmi* ad Io. Cholerum epistola, Friburgo anno 1531. data, p. 1426. seqq. ep. 1210. Conferri potest eius epistola 4. familiaris ad Bonif. Amerbachium, p. 7—9. (Basil. 1779. 8.)

tatus, et latina eloquentia ſpectabilis. Scripſit varia, et diem ſupremum obiit d. 9. Oct. A. 1556. Trudonopoli. Vid. Franc. Sweertii Athenae belgicae, Andreae Biblioth. belg. etc.

In epiſtola, nunc ex Autogr. edenda, ſcripta *Louanii*, d. 8. *Maii* A. 1528, (v. Index h. a. n. 7.) dicit Moringus de communicatis ſibi *Eraſmi* ad *Emſteedium* litteris, et *vita Auguſtini* a ſe ſcripta, non vero abſoluta, ſed melius et adcuratius ab *Eraſmo* concinnanda in proxime edendis *Auguſtini* Operibus, vtpote qui nuper tanto *Hieronymum* a ſe editum ornauerit elogio, etc. *Eraſmi* librum de *libero arbitrio* contra *Lutherum* maximopere laudat, illumque ad edenda plura eiusmodi ſcripta hortatur, quibus ſuccurratur adflictis rebus. Loquitur de *Eraſmi* litteris ad *Franciſcum Minoritam*, vt *ne nomen ſuum in praelectionibus* publicis *perſtringat*, variaque de eodem *Eraſmi aduerſario* narrat, ſperans Eraſmi taciturnitatem. Denique dicit de *ſua quadam epiſtola*, quam *Goclenius* Eraſmo mittat, ignota ſibi de cauſſa, rogatque, vt *lectam diſcerpat* Eraſmus, ſimulque *hanc* praeſentem, etc.

D. Eraſmo Roterodamo Gerardus Moringus S. D. Communicauit mihi hiſce diebus, Vir multo eruditiſſime, Emſteedius noſter [1]) litteras ad ſe tuas, ob id potiſſimum, quod pleraque ad me attinerent; quibus, audiſſe te, ais, ſcripſiſſe me vitam Auguſtini ſumma cura. Si eſſet quoque, vt iſtuc transmittere velim, fortaſſis addendam Auguſtini Voluminibus, propterea quod eruditioni tuae, huic nego-

1) *Ioannes Heemſtedius*, quo nomine ipſe vſus eſt in epiſtola, ad Eraſmum data, Louanii apud Cartuſienſes, 14. Iul. A. 1530, (T. III, Opp. Er. p. 1746. ſq. ep. 358.) fuit Cartuſianorum Louanienſium Procurator. Tres ad eum *Eraſmi* epiſtolae editae leguntur T. III, Opp.

negotio operam locare, non ſit animus; fore denique egregium mei monimentum in opere tam ſplendido. Profecto, Vir humaniſſime, gratiam habeo, quam poſſum, maximam, de tanta quoque nondum merita humanitate; cum vltro offeras, quod non pauci vel maximo mercari velint, traduci non ſine laude per ora hominum. Nulla vtique vice hunc in nos animum rependere licet; quanquam non committam vnquam, vt ingratus ſim. Porro, vt fabulae huius originem paucis habeas, fuêre fateor apud Bethleemitas Louanii viri pii et litterarum amoeniorum myſtae religioſiſſimi, a quibus aeſtate proxima magnopere hoc nomine ſollicitabar; neque ſollicitandi modus vllus, neque modeſtia, vſquedum tandem manum tabulae afferre perpulerint. Mouebat, quod multa prodita de Auguſtino ſuſpectae ſatis fidei videantur; cupere ſe quiddam haud ambiguum ex ipſis Auguſtini ſcriptis petitum, atque id phraſi quadam praeſentis ſaeculi, ne, cum aliorum vitae tam graphice depingantur, huius, qui in maximis cenſetur, omnino neglectui habeatur. Ac iam paginas aliquot abſolueram, licet tumultuarie, cum fama exiret, eruditionem tuam ſumma cura ſummoque iudicio perpenſiſſime Auguſtini opera reſtituere, vt ſpes eſſet, breui, maximo omnium plauſu, euulganda. Quod vt reſciui, protinus labore coepto deſtiti, [a]) nihil fore addubitans, quin, quanto praeconio Hieronymum in limine celebraſſes, non minori quoque Auguſtinum celebrares, quandoquidem non minus de re chriſtiana meritus eſſet, nec induſtria minori ſacra ſtudia iuuiſſet. Atque hinc allatus ad te rumor natus eſt. Porro, cum vires maturius conſulo, video, negotium plane modo meo maius eſſe, ac eum demum artificem poſtulare, cui Auguſtini opera penitus perlecta ſint, quem-

a) Prodiit poſtea Gerardi *Moringi* Vita S. Auguſtini, Antuerpiae 1533. apud Hillenium.

quemadmodum mihi non ſunt. Sunt quidem nonnulla, at non tanta, vt ex his, oculis ſubiicere Auguſtinum, auſim. Sed et ſcio, maturato opus eſſe, remque nihil morae pati, quod proximis nundinis omnia in lucem proditura ferantur. Quocirca, Vir eruditiſſime; rectius feceris, ſi tu laborem hunc pium non detrectares, cum praeſertim praeſtare poſſes et feliciſſime, et promptiſſime. Nam vt opinor, otium ſuppetet, et adeſt non dubie ſtili velocitas, quanta non alii cuiquam hoc ſaeculo, denique et rei cognitio exactiſſima eſt. Niſi feceris, multorum profecto exſpectationem deſtitueris, qui tale quiddam praeſtiturum hic credunt, quale in Hieronymo praeſtiteris, cum praeſertim hi duo confeſſione omnium ſummi ſint, quos eccleſia doctores habeat. Atqui congruens eſſet, vt pari iugo celebrarentur; qui pariter eccleſia demeruêre. Sed et ſuſpicionem praebebis (id quod pace tua dixerim) non ſatis candidi in Auguſtinum animi, dum omnes tacite cogitabunt, non temere eſſe, quod hunc ornare ſuperſederis, et Hieronymum tanto elogio ornâris. Quod ſi flecti precibus poſſes, ſtudioſi omnes magnopere efflagitarint, ne, quem publicus fere totius orbis conſenſus maximi pendit, tu tacito ſuffragio detorſiſſe videaris. Deliberes ergo tecum, impenſe precor, et hac ſpe ſtudioſos ne fruſtreris. Erit hoc dignum tanta iſta tua eruditione; erit dignum Auguſtino, qui, vt vir maximus eſt, ita quoque a viro maximo depingi flagitat, ne materiae tantae dignitas a mei ſimilibus deteratur magis, quam ornetur. Fac, quaeſo, quod e dignitate tua rectius eſſe exiſtimaueris.

Librum tuum, de ſeruo arbitrio inſcriptum,[3]) legi a capite vſque ad calcem, quanta maxima cum cura potui. Sed neſcio, quid ſit

3) Confundit Moringus *Eraſmi* libellum de *Libero Arbitrio*, contra Lutherum, anno 1524. editum, cum *Lutheri*, de *Seruo Arbitrio*, ſcripto, quo

ſit abſolutius, aut in quo quicquam vel Momus ipſe requirat. Adeo teſtate, collatis ſitibus, rem oculis ingeris, vt vel coecis liqueat. Adeo porro erudita ſunt omnia, vt haud ſciam, an quiſquam hoc ſaeculo viuum (quod aiunt) magis tetigerit. Denique nihil eſt fere tuorum ſcriptorum, vt multorum fert ratio, in quo circumſpectius, pro moribus temporum, loquaris, aut quod minus calumniae pateat, ita vt inimicis quoque tuis magnopere hoc nomine probetur. Perge, Vir eruditiſſime, eumdem ad modum afflictis rebus ſuccurrere. [4]) Parabis apud homines memoriam ſempiternam, apud Deum quoque praemium tantis meritis dignum.

Quantum intelligo, ſcripſit Dominatio tua ad Franciſcum Minoritam, [5]) vt ſcilicet nomen tuum in publicis praelectionibus perſtrin-

 gere

quo reſponderat hic Eraſmo, et quod prodierat menſe Dec. anno 1525. Conf. Lutheri Opera et Seckendorfii hiſt. Luther. etc.

4) Mirum ſane eſt, ſilentio praeteriiſſe Moringum, qui litteras haſce d. 8. Maii a. 1528. ſcripſit, *Eraſmi Hyperaſpiſten*, (contra Lutheri de ſeruo arbitrio libellum,) cuius pars prior prodierat circa init. a. 1526., poſterior a. 1527. Conf. Seckendorf. hiſt. Luth.

5) De hoc aduerſario ſuo ſcripſit *Eraſmus*, Baſil. d. 29. Aprilis, A. 1527., ad *Mercurinum Gattinarium*, Caroli V. Caeſaris Cancellarium, (anno 1530. in itinere Caeſaris, ex Italia ad Comitia Auguſtana, mortuum,) his verbis: „*Egmondano* mortuo, ex„ſtitit *Louanii Franciſcanus quidam*, „*qui in publicis praelectionibus ſubinde* „*perſtringit nomen meum.* Hoc genus „hominum neminem metuit, et, ſi „quid immineat periculi, mutant ſe„dem, et in tuto ſunt. Quumque „non in aliud proficiant, niſi quod „ſibi mortalium odium exaſperant, ta„men veluti furiis lymphati pergunt. „Sed haec quoque Chriſtus Opt. Max. „omnia vertet in bonum finem." Vid. T. III. Opp. Er. p. 974. ep. 859. Aduerſarium hunc Moringus adpellat *Franciſcum Minoritam*, Eraſmus in epiſt. cit. *Franciſcanum*. *Minoritae* enim, ſeu *Fratres Minores*, initio *Pauperes* dicti, et *Franciſcani*, germ. *Barfüſſermönche*, item *Chordigeri*, *Funigeri*, etc. ſunt Monachi vnius eiusdemque *Mendicantium* Ordinis, initio Seculi XIII. a *Franciſco Aſſiſio*, Italo, conditi, et primum ab *Innocentio III.* Papa in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215., deinde a ſucceſſore, *Honorio III.* aliis IV., anno 1223. denuo

gere odiosius supersedeat. [6]) Scriberem nonnihil hac de re apertius, nisi quod otium ex animi sententia non suppetit. Differam vero ad pro-

nuo confirmati. Vid. Io. Dominici *Mansi* Conciliorum noua et amplissima Collectio, Tomo XXII. (Venetiis 1778. fol) p. 1078. num. XII. Ibid. p. 1094. Magnum *Bullarium* Romanum, Tomo I. (Luxemburgi, 1742. fol.) p. 66—68.

Auctorem Ordinis, *Franciscum Assisium*, Honorii III. successor, *Gregorius IX.*, Papa ab a. 1227—1241., inter Diuos retulit anno 1228. Vid. *Bulla Canonizationis*, vt vocant, in Magno *Bullario* Romano T. I. p. 72. sequ. et in Iusti *Fontanini*, Archiepiscopi Ancyrani, Codice Constitutionum, quas Summi Pontifices ediderunt in solemni Canonizatione Sanctorum, (Romae, 1729. fol.) pag. 60—64. num. XXXIX. et XL. etc.

Moringi *Franciscum Minoritam* ERASMVS ipse vocat etiam *Franciscum Hasseltensem, Franciscanum*; et corrigendus est error Indicis rerum ac vocum, quae in Tomo III. Operum Erasmi edit. Lugdun. Bat. 1703. fol occurrunt, vbi *Franciscanus quidam, Louanii nomen Erasmi subinde perstringens*, distinguitur ab *altero quodam Hasseltensi, amice monito ab Erasmo.* Vtrumque enim fuisse vnum eumdemque, docet collatio locorum T. III. Opp. Er. cum nostra *Moringi* ad Erasmum epistola, nunc ex Autogr. prodeunte.

6) Quid scripserit *Erasmus* ad *Franciscum Minoritam*, aduersarium suum Louaniensem, docet Epistola 864. Tomo III. Operum Erasmi p. 981. edita, quam lectu, vt videtur, haud indignam exhibemus. „*Erasmus Rot.* „*Francisco Hasseltensi, Franciscano, S. D. Honorande in Christo Frater! Audio, te frequenter in tuis praelectionibus nomen meum perstringere. Quod si verum est, moneo, vt memineris, quid Ordine vestro dignum sit. Scis, nec Pontifici, nec Caesari, probari tales insectationes, quod vterque satis declarauit, etiam scripto. Scis, inutiles esse hoc statu rerum, quo meum caput pro negotio fidei tot expono periculis. Ego nullius Ordinis sum hostis; Vestrae vero Congregationi, quoniam caeteris est incorruptior, semper vnice faui. Si quid scriptis admoneo, pro vobis facit, non contra vos, qui talia non probatis. Quod si cupitis pristinum orbis fauorem vobis instaurare, his rationibus id faciatis oportet, quibus eum primum peperistis. Peperistis autem vitae sinceritate, non conspirationibus, aut obtrectationibus. Quos tumultus tui sodales mouerunt in Hispania? Quid profecerunt? Exacerbarunt omnium odium. Idem accidit in Polonia et Vngaria. Ego, nisi Christum haberem prae oculis, et si te fortassis non possum laedere, possem Ordinem tuum laedere magis, quam credas. Ad quod tamen nunquam prouocabor. Quo minus decet vos ad hoc lacessere. Iam pridem* „*clancu-*

proximam quamque occaſionem. Audies, non ſolum viua voce, ſed et iuſtis voluminibus, tecum pugnare iuuenem vixdum barbatulum, licet ſua tegat et premat, velut Cereris Eleuſinae myſteriis operans, vt ſcilicet hoc minori rubori cedat, ſi praeceps fortitudo in neruum denique erumpat. Equidem opus ipſum deguſtaui, preſſius lecturus, ſi copiam eius diutius ſuffurari licuiſſet. Sed nihil eſt, cur Dominatio tua ſollicitetur. Eiusmodi omnia ſunt, vt a tali alia exſpectari non potuerint, hoc eſt, ridicula et puerilibus crepundiis conſentanea; indigna denique, ad quae celſitudo tua ſeſe inclinet, niſi fortaſſis Vniuerſitatem 7) ipſam inuadendam cenſeas. Dabo ſpecimen aliquod horum, quam prima fuerit occaſio. Sed interim ſtipulor, vt, quod ſcis, neſcias. Nolo enim hinc quicquam mihi inuidiae offundi, ſi quidem fieri queat.

„*clancularis conſiliis libros meos emoui-* „*ſtis è bibliothecis, in quibus locum ha-* „*bent aliorum virulentae calumniae.* „*Hoc diſſimulaui, nec magni facio. Si* „*pietatis negotium ageris ſincere, Do-* „*minus proſperabit, quod agitis: ſin* „*agetis technis et callidis conſpirationi-* „*bus, omnia, crede mihi, recident in* „*diuerſum. Dominus tecum! Baſilea,* „*18. Maii, Anno 1527.*"

7) Vniuerſitatem *Louanienſem*, in Ducatu *Brabantiae*, vbi plures erant litterarum et Eraſmi oſores. Vid. Tomus III. Opp. Er. paſſim. Inter alia ſcribit *Eraſmus:* „Multos *Louanienſes* „maieſtatem Theologicam pluris fa- „cere, quam Chriſtum. (p. 444.) *Lo-* „*vanii* nihil eſſe ſacrum absque com- „potatione. (p. 513.) Ibi indigniſſime „haberi ac vexari bonas litteras. (p. „689.) Ibidem eſſe ſceleratiſſimum „nidum quorumdam Dominicanorum. „(p. 886.)" Laudat vero etiam variis locis *Louanium* vrbem, coelum eius amoenum, purum ac ſalubre, dicitque: „nuſquam ſtuderi quietius; „nullibi feliciorem eſſe ingeniorum „prouentum; nuſquam Profeſſorum „maiorem aut paratiorem copiam; „nuſquam iuuentutem magis ardere „in bonas litteras; Theologos *Loua-* „*nienſes* experiri ſe candidos et huma- „nos; non eſſe *Louanii* minus erudi- „tionis theologicae, quam *Pariſiis*, „ſed minus ſophiſtices, minusque ſu- „percilii, etc." Laudat quoque Collegium trilingue, liberalitate Hieronymi *Buſlidii*, Praepoſiti Arienſis, fundatum *Louanii.* Vituperationes illas, laudesque haſce, inter ſe conciliandas relinquimus lectori.

Transmittit isthuc epistolam quamdam meam Goclenius [8]) noster; qua vero de caussa, nescio. Rogo, vt discerpatur protinus, vt lecta est. Simul et haec praesens discerpatur, ne reiecta temere cuiquam in manus incidat. His vale, Vir multo omnium eruditissime, idemque humanissime. Deus optimus te saluum, fortem et incolumem diu seruet, sudoresque tuos in publicam vtilitatem concedere faciat. Louanii, 8. Maii, Anno 1528.

Tuus verè Gerardus Moringus.

Absolutissimo Theologo, D. Erasmo Roterodamo, apud Basileam.

Basileae.

Indicimus Vobis nunc, Ciues Optimi, memoriam Illustrissimae, in hanc Academiam et litterarum studiosos munificentissimae, IOHANNAE HENRICAE LVDOVICAE, e gente equestri CARLOVITIA, Coniugis *Illustrissimi* et *Excellentissimi* MICHAELIS COMITIS a BESTVCHEF-RVMIN, Primi Mareschalli et Consiliarii Intimi in Aula Imperatoria Petropolitana, etc. proximo die XXX. mensis Iunii hora IX. in *Auditorio Theologorum* celebrandam Oratione anniuersaria, quam habebit Iuuenis Nobilissimus, CAROLVS GEORGIVS HORN, Lipsiensis, Iuris Studiosus, ostensurus, *beneficia, in egenos et probos litterarum cultores collata, optime collocari.* Rogamus igitur VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCEPS SERENISSIME, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPVBLI-

CAE

8) Conradus *Goclenius*, Professor linguae latinae primus in Collegio trilingui *Louaniensi*, et Canonicus Antuerpiensis, natus anno 1455. in *Westphalia*, mortuus *Louanii*, anno 1535. De eius rebus et scriptis vid. Erasmi ad Goclenium epistolae, aliaeque, Tomo III. Opp. editae, Andreae bibliotheca belgica, Adami vitae eruditorum, Sweertii Athenae belgicae, Miraei elogia illustrium Belgii scriptorum, etc.

CAE PROCERES, DOCTORES et MAGISTRI GRAVISSIMI, CELEBERRIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, CARISSIMI, omni, qua decet, obſeruantia et humanitate, vt Veſtra praeſentia Actum hunc ornare velitis. P. P. Domin. V. poſt Feſt. Trinit. A. R. S. cIↄIↄccxcvi.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA